

Universitätsbibliothek Wuppertal

(Politeia Athenaion) Aristotelis Politeia Athenaion

Aristoteles

Lipsiae, 1903

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-2793](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-2793)

PRAEFATIO.

§ 1. Quam insigni neque unquam sperato fortunae beneficio anno proximi s. XCI quasi ex ipso Orco recuperavimus *Ἀριστοτέλους Ἀθηναίων πολιτείαν*, edidi ante hos undecim annos post principem editorem Britannum, duumviros editores Germanos, duumviros item Batavos; tum a. eiusdem s. XCV post alios insignes hominum doctorum labores iterum edidi; tertium tribus annis post; nunc quartum edo. De laudibus libelli taceo (nisi quod de quibusdam quae minus in promptu sunt postea agendum erit); de auctore id dixisse satis habeo, videri mihi paene maculam suo ipsos operi adpersisse editores Batavos, cum pro titulo inscriberent "*Aristotelis qui fertur liber Ἀθηναίων πολιτεία*". Quid enim valere debebant dubitationes quorundam hominum, sive doctas eas dicas sive perversas, vel contra totius antiquitatis testimonium, vel contra ipsius libelli indolem, quem si quis non videt neque a discipulo etiamnum rudiore conscriptum esse posse neque a grammatico ignoto atque obscuro, aut non habet oculos aut eis quos habet non utitur? Parcamus igitur huic chartae, qua ad alias res multas nobis opus erit.

Sunt volumina quattuor papyraea, quae una inventa in Aegypti aliquo loco (de pro prudenter tacetur) emerunt Musei Britannici custodes et sine mora, industria usi plane admirabili in re difficillima, publici iuris fecerunt. Ea volumina in prima cuiusque pagina nota numeri insignita sunt: *A, B, Γ τόμος, Δ*; nempe in ultimo quoque notae reliquias dispexit qui ultimus haec volumina maximo cum fructu examinavit Udalricus Wilcken. Continent Aristotelis *πολιτείαν Ἀθηναίων* sine inscriptione et initio truncatam, non quo huius chartae aliqua pars eo loco nunc desit, quod secus esse et numeri nota et spatium vacuum a

sinistra parte relictum manifesto testatur, sed, ut putandum est, quod exemplum illud unde describebatur non integrum erat. Hoc enim quod habemus exemplum non ex eis est quae a scribis bibliopolarum conficiebantur, sed erat privato usui destinatum: id quod vel inde statim apparuit, quod in aversa horum voluminum parte libellus Aristoteleus perscriptus est, occupata iam altera vilici cuiusdam Aegyptiaci rationibus. Fingamus nobis animo hominem in abdito aliquo angulo Aegypti viventem, qui cum libelli huius Aristotelei amantissimus esset, neque mercari poterat eius exemplum neque nancisci aliud quam truncatum illud, unde ipse sibi describeret. Fecit igitur id quod potuit, chartaque usus est ea quae praesto erat. Cuius de mensuris haec addo: primum volumen esse longum duo metra et dimidium fere, secundum paullo plus quam unum et dimidium, tertium minus unum; item ut videtur quartum, quod nunc discissum neque integrum servatum est; latitudo fere 28 centesimas partes metri aequat. Docuerunt praeterea Wilken eumque secuti editores Germani voluminis primi plagulam primam, quae est eadem in scriptura Aristotelea ultima, tegumenti vice reliquo volumini praesutam fuisse, aversa eius plagulae parte, ea scilicet in qua fibrae rectae a summo ad imum decurrunt, adversis reliquarum partibus adiuncta; eam primam plagulam a vilico illo scriptura fere vacuum relictam esse¹⁾, neque diverse fecisse Aristotelici libelli scribam, qui suae partis primum spatium paginam fere unam aequans scriptura non attigerit. Manus vero scribarum in Aristotele rectissime Kenyon princeps editor Britannus quattuor esse statuit. Prima primum volumen totum secundique primam paginam conscripsit; excipit altera inde a secunda eius pagina, totius operis tertia decima. Atque hae quidem duae manus facillime distinguuntur. Prior nempe scriptura utitur cursiva quae vocatur, compendiis crebris, quibusdam

1) Exstitit autem postea qui eam quoque plagulam in usum vocaret, inscripto commentariolo quodam grammatico adhuc inedito. V. Kaibel-Wilamowitz³ p. VII, 1.

etiam notis tachygraphicis; paginas facit latas plerasque quattuordecim quindecimve aut sedecim centesimas metri partes (etiam latiores sunt duae, una paullo angustior), versus autem in quaque pagina circiter quadragenos quinos, nisi quod decima non plus viginti quattuor habet. In ea enim parte voluminis primi iam antea scriptum erat argumentum Demosthenicae orationis contra Midiam cum scholiis quibusdam, quae ad eius orationis principium pertinent; his impleta erat una pagina et dimidia, quae cum novus hic usus chartae fieret ductibus crassis sunt transfixae. Reliquum autem alterius paginae spatium decima est pagina Aristotelici operis. Propter eandem causam etiam latitudinis paginarum inaequalitas maior est in hac voluminis parte. At secunda manus et maioribus litteris utitur neque inter se tam crebro conexis, forma autem litterarum ea quam quadratam vocamus, compendiis nullis neque notis; porro paginae angustiores sunt, ut duodecim centesimarum partium modum non excedant; versusum autem in unaquaque pagina numerus idem fere est atque in eis quas prima manus scripsit, cum litterarum in unoquoque versu multo sit minor. Accedit alia inter utrumque librarium differentia, quod prior orthographiam satis bene callet, alter minime. Hunc autem alterum hominem Kenyon statuit paginas scripsisse non plus quam septem et dimidiam, i. e. a tertia decima usque ad mediam vigesimam; ibi excipere tertiam manum, quae huius voluminis reliquam partem conscripserit, i. e. usque ad paginam vigesimam quartam, insuperque totum volumen quartum, quod lacerum habemus. Cum negassent Germani editores hanc manum a secunda diversam esse, fortiter contra ivit Britannus in praefatione editionis tertiae. Statim enim in volumine altero apparere discrimen, velut in Y littera, gracilioremque esse toto habitu scripturam tertiae manus quam alterius, etiam in principio, ubi scriba ad imitationem proximorum a cursiva scriptura abstinuerit, ad quam postea paullum eum deflexisse videmus; neque fieri posse, ut scriptura uncialis paginae XXVII (quae est extrema voluminis secundi) et paginarum XIII—XX ab eodem

librario profecta sit. In orthographicis quoque magnam esse differentiam; nam *ι* pro *ει* alterius scribae esse, qui plus quadragies ea ratione peccet, cum tertius quater tantum talia admiserit; contra *ει* pro *ι* frequentius esse apud hunc quam apud illum. Quibus argumentis ipsiusque Wilkeni testimonio congruo iam omnes dubitationes victae sunt. Finem fecit manus altera in CYN|EBH verbo pag. XX, v. 27 sq. (p. 66, 2 ed. huius); post id excepit tertia. Restat volumen tertium, in quo primae similem manum agnoscit Kenyon, sed non eandem; nostrates contra editores iterum eandem esse statuebant. Nempe et cursivum genus utrobique est, et compendia notaeque similiter adhibitae, latitudoque paginarum in tertio volumine eadem fere atque in primo. Orthographici quoque errores non sunt crebri, neque temere librarius scribit quae sensu careant. Sed versuum numerus in quaque pagina haud paullo maior, cum praeter ultimam, quae non tota expleta est, nusquam sint minus quam quinquaginta quinque, interdum etiam septem octove et quinquaginta. Pendet hoc ex scripturae genere, quod paullo minutius est paulloque elegantius, neque omnino eam similitudinem refert, qua eandem manum agnoscere cogamur. Accedunt quaedam in singularum litterarum formis discrimina, velut quod T hic ductum superiorem directum habere solet, fractum illic; H quoque magis ad normam quadratae scripturae pingitur, item saepe Π. Sunt etiam in compendiis notisque quaedam quibus alteram manum ab altera distinguere possis, quae sollerter enotaverunt editores Batavi Britannusque Sandys. Velut hoc, quod syllaba finalis -*σθαι* compendio quidem ab utraque manu scribitur, sed a primo Θ paullum supra versum extollitur, ΑΙ non indicatur, cum quarta Θ in ordine ponat, ΑΙ lineola indicet. Omnes igitur nunc consentiunt, esse haec volumina a quatuor manibus conscripta.

§ 2. Alia quaestio est multo etiam difficilior atque intricatior, quid de correctorum manibus statuendum sit. Kenyon in eis, quae in opere alterius manus emendata sunt, eandem manum agnoscit quae scripsit volumen pri-

mum; in ipso primo itemque in tertio non ita multa correctae sunt, quapropter de his quaestionem omnino non movit. Nostrates editores omnia haec volumina ab eodem homine correctae esse putant, eo scilicet qui primum scripsit. Verum sic si statuerimus, statim difficultatibus maximis implicabimur. Diligentem dicunt fuisse hominem et litterarum minime rudem, qui haec partim scripserit ipse, partim cum alii sive servo sive mercenario scribenda mandasset, postea ut par erat emendaverit. Cur igitur omnis illa diligentia, quam recte in scribendo agnoscunt, in emendando plane desideratur? Cur foedissima quaeque sensuque cassa intacta sunt relicta? An quia in ipso archetypo sic scripta erant? Id archetypum eidem editores docent librum fuisse qui proprie vocaretur, publico usui destinatum: quod si secus fuisset, futurum non fuisse ut huius voluminis librarius tertius pro cursivo scribendi genere sibi consueto initio alterum insuetum quod librorum erat adhiberet. Nihil tamen obstat quominus illum librum ne ipsum quidem peccatis immunem fuisse putemus. Verum fuisse in eo ΑΔΔΡΕΙC pro ἀνδρες (p. XIII, 34; huius ed. p. 54, 12), mox ΕΤΙΔΕ pro ἔδει δὲ (ibid. 42; p. 54, 19), ΤΥΓ|ΤΕΧΑΝΟΥCIN pro τυγχάνουσιν (p. XIV, 6 sq.; 55, 5), similia alia plurima nunquam equidem credam. Rectius autem sicut in Bacchylide recens invento plures correctorum manus fuisse statuemus: primum eas quae scripserant, cum multa aperte eandem manum referant; tum alias sive horum scribarum sive aliorum hominum. De tertio quidem volumine vix potest dubitari, eandem manum et scripsisse et emendasse; at in primo quamvis de multis idem affirmandum sit, restant quaedam quae alienam manum monstrare videantur, eamque quartae quam vocavimus similem. Exempli causa affero: ΗΔΗ additum col. IX, 18 (p. 39, 17), τὴν δαπάνην additum ibid. 30 (p. 41, 2); Η enim his locis quadratam formam habet, quam non adhibet huius voluminis scriba, adhibet tertii. Item in secundo volumine quaedam sunt quae quartae manus admoneant, velut ΦΟΝΟΥ super ΠΟΝΟΥ scriptum col. XIX, 1 (p. 63, 2) et ΑΘΗΝΑΙΩΝ additum col. XVIII, 20 (p. 62, 6). Atque

demonstrat ipse color niger atramenti, plerumque opus manus secundae non ab eo qui scripserit esse emendatum. Quare in universum sic statuo: emendationem horum voluminum ab uno aliquo homine cum cura et diligentia factam non esse, sed partim inter scribendum statim librariorum errata sua correxisse, partim alios emendasse, sed neglegenter fere et ut multa quae emendare possent temere relinquerent. Similem plane nunc videmus Bacchylidei libri condicionem. Eodem fere pertinet quod interpunctio per tota volumina neglecta est¹⁾: quam erat certe addere correctoris diligentis.

Verum nova quaestio statim oboritur, unde hae emendationes sint profectae. Quinque earum genera distinguenda sunt. Unum genus est earum, ubi litteris parum clare pictis eadem magis explicita forma superscriptae sint; alterum earum, ubi altera littera inducta, altera superposita sit, vel illa in hanc mutata; tum tertium, ubi primo omissa supra versum sint addita. Sed sunt praeterea loci non pauci, quibus nihil inductum sit, nihilominus autem alia superscripta, quae non adiciantur, sed substituuntur prioribus. Quintum genus ab hoc eo tantum differt, quod supra versum scripta singulis lineolis vel punctis utrimque circumdata sunt, quibus lineolis necessario certa aliqua significatio inest; est ubi etiam in ipso versu similiter punctis inclusa sint ea quibus altera lectio substituatur. Colligamus primum huius generis locos omnes. (Vol. I). P. I, 1 (ed. nostrae 8, 2) super *καταγνωσθέντος* scriptum — *θαρθεν* — h. e. *καθαρθέντος*, lectio scilicet falsissima pro verissima. Manus est eadem; item in reliquis plerisque. IV, 37 (23, 18) θ cum lineolis quae vid. sup. *θεσμούς τε ὁμολως*, i. e. θ' . VIII, 20 (36, 10) .T. sup. KI nominis *ΑΡΤΑΚΙΔΟΥ*, i. e. *Ἀρτακίδων*. Insolitum utrumque nomen, sed et *Ἀρτακίδης* ab *ἄρπακτής* derivatur et *Ἀρτακίδης* ab *Ἀρπανος*. Ibid. 40 (37, 19) *ἐπίστεινεν ὁ*

1) Paragraphus bis apposita est: ad c. 4 init. c. 20 init.; praeterea „spatiis interdum vacuis intermissis non solum carmina a pedestri sermone sed etiam singula quaedam enuntiata inter se distinguuntur“, W.-K.³ p. VIII sq.

δῆμος pr., superscr. .Ο. i. e. ἐπίστευον, quod sunt qui receperint. IX, 2 (38, 4) ·Ι· ad αὐτῷ (αὐτῷ). Ibid. 26 (40, 14) .Ν· ad μεθίστατο, i. e. μεθίσταντο. Diversitas lectionum ei quam modo attulimus similis. Ib. 33 (41, 9) Ὑψηλίδου (ab ead. m.) pro Ὑψηλίδου; verius videtur illud. ibd. 39 (42, 1) -πε[ρι-] (ab al. m.) super κατὰ; hic quoque superscriptum praestat. XI, 17 (46, 3) .ΤΟ· sup. μετ' αὐτόν, i. e. μετὰ τοῦτον. Non videtur vera emendatio; manus autem hic quoque aliena apparet; contra ipsius qui scripsit v. 19 (46, 10) in (ἐ)πισυνέβη pro ἐτι συνέβη; ubi etiam apertius hoc verum, illud corruptum est. Ibid. 21 (46, 13) ἔπασαν pro πᾶσαν, ab eadem manu. Ab alia autem 43 (19, 10) καλῶς pro πατρικῶς, pravissima lectio. XII, 18 (51, 14) (πεντακισχιλίων pro ἡ πεντακισχιλίοις; illud cum W.-K. recepi. 19 (51, 15) συντίθεσθαι pro τίθεσθαι recte. Ibid. 37 (52, 20) ad επεισεκλητον (pro ἐπέσεκλητον) superscriptum alterum K, quo corruptela perficitur: ἐπεισέκκλητον. Ingressi sumus iam in volumen secundum, a cuius altera pagina (XIII) secunda manus incipit. XIII, 15 (53, 23) verum erat τὸ νῦν εἶναι, quam locutionem sibi ignotam in τὸν v. ε. corruperant librarii; hoc scriptum exstat, superscriptum autem ad ON .Ο., additis in margine punctis duobus cum lineola (./), quibus corruptelam esse indicatur. De his lineolis postmodo dicemus. XVIII, 28 (62, 12) ad Ἐλευσινιάδε ἰέναι in margine adscriptum invenit Wilcken .ΔΕΙCIEN., i. e. -νάδ' εἰσιέναι, quod videtur verius esse, et ibidem 29 (ibd.) ad ἐκατέρους falsum .ΕΤΕ. (ρους). XXI, 8 (67, 2, man. tert.) (ὀκτωκαίδεκα) ἔτη pro (ὀκτωκαίδεκα)έτεις, manifesto ab eadem manu quae ετεις scripserat. XXIII, 3 (70, 11) pro corrupto τρισὶ δὲ κήρυξι adscriptum verum (τρι)α (δὲ κ.), sed ibidem 4 (12) pro τρία δὲ δόσιων monstrum corruptelae συρακοσίων (ab alia manu). Ibid. 22 (71, 8) est δεῖ χρηματίζειν, adscripto -δεικ'- post infinitivum. Compendio κ' pro καὶ hic librarius praeterea semel tantum usus est, ibid. 41; sed ne ibi quidem plane eodem modo exaratum est¹⁾, reliqua quoque aliam manum monstrant.

1) Nempe lineola qua compendium a littera K distinguitur priori parti adiecta, qui est mos manus quartae; at in lectione superscripta secundae adiuncta est, in modum manus primae.

Ceterum intellectu caret καί. Ibid. 31 (71, 16) (εὐσημ)ι(α) pro corrupto ΕΥCHMEIA (εὖ σημειᾶ). Accedimus ad volumen tertium manumque quartam. XXV, 50 (76, 17) ἐὰν μὲν .κ. γνῶι, i. e. sive καταγνῶ sive γνῶ; putaverim μὲν, quod falsum est, in aliquo codice pro vero κατα- substitutum esse. 57 (77, 7) in loco male habito, sed diversa ratione emendando ΑΝΑΓΟΥCΙ cum Α. Α. super NA. XXVIII, 29 (88, 9) Α.ΕΙ.ΤΟΥΡ[ΓΙΑΝ] pr., superscr. Η, et ibid. (10) ΑΕΛΗΙ-ΤΟΥΡ[ΓΗΚΩC] pr., superscr. .ΕΙ., ratione inversa. 43 (89, 10) recte ὀρφανικοῦ pro ὀρφανοῦ. Ibid. 50 (90, 4) τετταρ[α]καυδε[κ]εῖς, superscr. -η(ς). Neutrum verum, sed -τις. Ibid. 54 (90, 11) δ(ἐ) Κηρ[ύκω]ν, superscriptum .Κ., i. e. δ' ἐκ Κηρύκων, quod praestat. XXIX, 14 (91, 14) in versu Α.ΙΔ'ΕCIC, superscr. .Ρ., i. e. ἄρσεις, quod et Kaibelio et mihi verius videtur. Ibid. 26 (92, 17) falso (γιννομέν)οις pro γιννόμεναι. XXX, 1 (95, 10) ἐκ pro ἀπό; illud receperunt omnes. Ibid. 43 (99, 1) scripserat librariorum primo τοῦ ἐνδεκάτου τοῦ τριακοστοῦ, tum induxit τοῦ τριακοστοῦ et super versum scripsit τοῦ λ.τριακοστοῦ, cum verum esset — τοῦ Λ, i. e. λάβδα. Denique in lacero volumine quarto nihil invenio praeter XXXI, 3 (δὲ πᾶ)ν(των male pro δ' ἐπ' αὐτῶν.

Itaque satis apparet, pro varia lectione haec omnia esse adscripta¹⁾, unde auctoritas corrui, libera optio praebeatur. Neque ea ratio variae lectionis enotandae aliunde nobis non cognita est: immo in ipso Mediceo Aeschyli Sophoclisque eadem bina puncta haud raro conspiciuntur:

Aesch. Pers. 568 Kehl. ^{π.}κυρσεῖας, Sept. 921 ^{α.}αληθῆ, al. In Thucydidis autem fragmento, quod ex Oxyrhynchi rudibus protractum ediderunt clarissimi viri Bernardus Grenfell et Arthurus Hunt, haec ad eundem usum obtinet

HI

ratio: ΕΦ.ΕΙ.ΡΗΜΕΝΟC. Mixta autem sunt ubique vera

1) Negant hoc Wil.-K.³ p. X de loco qui est p. 52,20: επεισεκλητον—επεισεκκλητον pro vero επείσεκλητον; ibi ipsum librariorum ad suum peccatum corrigendum puncta addidisse. Equidem puto duas lectiones επεισεκλητον—επεκκλητον olim fuisse (K—IC).

falsaque atque etiam falsissima, prout fors tulerat. Iam illud Aristotelis exemplum ex quo haec varia lectio fluxit non cum hoc quod habemus puto fuisse collatum — nam initium libelli deperditum sic recuperari potuisset, quod multo maioris erat quam haec omnia —, sed vel cum archetypo quod nostris librariis in manibus fuit vel cum archetypi ipsius archetypo aliquo, et similiter in illo illisve haec puto scripta fuisse atque sunt in nostris chartis, eisdem lineolis vel punctis appositis. Idem de lineolis transversis iudicandum videtur, quae perpauca locis ante verum appictae sunt, ad indicandam nempe corruptelam, sicut in Herodae carminibus. Sunt hi loci: p. II, 4 (12, 1 sqq.), quo in versu legitur τοὺς ἔνονς, quod illi homines vix intellegebant. VII, 14 vel 15 (32, 23 sqq.), nescio quapropter, cum omnia plana sint. Ibid. 30 (33, 25), ubi corruptela est ἀληθές pro ἀληθής. XI, 5 (44, 14 sqq.): corruptum est ἀφαιρεθέντας. 31 (47, 19 sqq.), ubi exstat εὐδοκιμουμενοντα (pro εὐδοκιμοῦντα) et supra verum eadem manu NTA ad MEN, nullis tamen litteris inductis: apparet igitur ne in archetypo quidem aliter haec fuisse scripta. Denique XIII, 13 (53, 23) ad τὸν νῦν εἶναι, de quo loco supra egimus. Ideo autem has lineolas non ad nostros librarios auctores refero, quod ei qui has chartas, secundum volumen maxime, paullo attentius legeret, non sex tantum locis offendendum erat, sed paene sescentis. Verum hoc levius est; gravius illud, quod iam videntur aliae quoque emendationes, quas hic adscriptas legimus, una cum primaria lectione ad archetypum referendas esse. Pertinet hoc ad tertium quartumque ex quinque emendationum generibus quae supra distinxi. Exempli gratia, si p. 13, 6 (II, 18) in archetypo exstabat ΦΙΛΟΝΙΚΙΑΝ, quae est vera lectio in charta nostra superscripta, librariusque casu vel incuria pro ea primo dederat ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΝ, cur errore animadverso non induxit falsas litteras T et M verasque N et K superscripsit, sed nullis inductis superscripsit ΝΙΚΙ? Et quod multo etiam apertius est exemplum: V, 33 (p. 26, 24), si corrigendum erat ἀρχαῖνως, quia in archetypo nihil erat nisi ἀρχαίως, delendum erat K, non syllaba ΩC syl-

lae KΩC superscribenda. Et fortasse talibus locis in archetypo aliquid inductum erat, id quod neglexit librarius noster; fortasse notae illae alteri lectioni appositae, id quod item neglexit; fortasse neutrum; nolo enim nimis multa scire velle videri. Sed elucet auctoritatem talium emendationum, ubi nihil inductum est, hac ratione aliquantum minui. Etiam tertium emendandi genus dubitatione non caret. Possunt ea, quae nunc supra versum addita videmus, casu omissa fuisse, possunt vero etiam in archetypo eundem locum tenuisse vel in margine fuisse adscripta: quod si est, incertum erit, emendationesne sint an variae lectiones an explicationes. Velut τὴν δαπάνην, quod p. 41, 2 in Londiniensi aliena manu superscriptum est, in Berolinensi vero, de cuius laciniis infra agam, in ordine ceterorum fuisse videtur, fuit cum ut Batavi delendum putarem; nunc deleui κατὰ p. 15, 1 ad ἑνταῖνεῖν adscriptum.

§ 3. Sequitur quaestio de aetate horum voluminum. Exstant in eorum parte antica, sicuti supra dictum est, rationes acceptae expensaeque pecuniae, factae a procuratore villae cuiusdam in Aegypto sitae; eae autem rationes in fronte gerunt annum imperatoris Vespasiani undecimum, i. e., secundum Britannii editoris computationem, annum Aegyptiacum qui initium cepit mense Augusto anni post Chr. n. 78. Manifestum igitur est, tergum voluminum aliquanto post in hunc usum prorsus diversum esse adhibitum; sed utrum intra primum post Chr. n. saeculum an eo iam elapso vel diu elapso, aegre conficitur. Neque enim ex scriptura certa argumenta peti posse videntur; magis fortasse ex orthographia. Mitto vulgaria illa, iota mutum quod vocatur omissum et confusa El et I, quae vitia multorum saeculorum sunt communia. Sed num etiam Al et E confunduntur? Id si est, in saeculum alterum deduci videmur; etenim quantum ex Atticis inscriptionibus colligitur, haud ante ea confusio invaluit. At verum non est quod quondam dictum est, Λακεδῆμονος scriptum exstare in volumine primo (p. VII, 41; 34, 21), Λακεδαίμονος enim exstat, neque ἐνιαυτόν correctum esse in αἰνιαυτόν in altero (p. XXIV, 7; 72, 18), NE enim superscriptum, e quibus litteris N

ad proximum vocabulum pertinet. Quod autem in eodem (XX, 3; 64, 24) Wilckenus $\Xi\epsilon[\nu]\epsilon\nu\epsilon\tau\omicron\nu$ legit, contra stat Kenyonis auctoritas, qui pro ϵ Al potius litterarum vestigia agnoscit. Relinquuntur certa haec: Κλαινέντον pro Κλεινέντον in vol. primo (XI, 36; 48, 13), et Πειραιεύς nominis genitivus in altero (XIX, 5. 42; 63, 6; 64, 19) bis Πειραιαιώς scriptus. Profecto haec pauca sunt, neque solum nominis proprii ignorance aliquatenus excusantur, sed etiam ex eo quod Al diphthongus plerumque ante alteram vocalem posita est; etenim ex tabulis quas confecit Meisterhans ad illustrandam confusionem inter Al et E, qualis in Atticis inscriptionibus sensim increbuit, elucet ab initio et per totum saeculum alterum non nisi ibi haec confundi, ubi altera vocalis sequitur.¹⁾ Ita autem ne ex hac quidem re quicquam certius ad aetatem voluminum definiendam colligi potest praeter hoc, tertio saeculo ea non tribuenda esse, qua aetate librarius tam indoctus quam fuit e nostris alter, profecto plura hac genus peccaturus fuit.

Est autem probe tenendum, quod in dies magis res ipsae nos docent, nulla librorum antiquitate vel in poetis vel in pedestribus scriptoribus menda excludi, ipsumque quod pedestres praecipuum obsedit vitium, confusio interpretamentorum cum verbis scriptoris, valde antiquis temporibus eos invadere coepisse. Quod ne a poetis quidem, quamvis metro numerisque tutiores essent, prorsus afuisse inter alia hic Bacchylidis (III, 47) versus docet: $\tau\acute{\alpha} \pi\rho\sigma\theta\epsilon[\nu]$ $\delta' \acute{\epsilon}\chi\theta\rho\acute{\alpha} [\nu\tilde{\nu}]$ (add. corr., e libro collato sine dubio) $\phi\acute{\iota}\lambda\alpha' \theta\alpha\nu\epsilon\tilde{\iota}\nu \gamma\lambda\acute{\upsilon}\kappa\iota\sigma\tau\omicron\nu$. Aliud autem est cognoscere exstare id vitium in aliquo libro, aliud singula interpretamenta recte detegere et excludere. Pridem concessi delendum esse $\Delta\iota\phi\acute{\iota}\lambda\omicron\nu$ c. 7, 4; concedo nunc recte esse deleta $\pi\epsilon\rho\acute{\iota} \tau\omega\tilde{\nu} \acute{\epsilon}\nu\tilde{\nu}\epsilon\alpha \acute{\alpha}\rho\chi\acute{\omicron}\nu\tau\omicron\nu$ c. 8, 2, quae olim confidebam explicando me tueri posse; sed abicere utique praestat. Verum cum dicant editores nostrates unum eerte gravissimum additamentum (c. 59, 2) etiam grammaticorum testimoniis convinci, eam rem videamus qualis sit. Legitur nunc de

1) V. Meisterhansii ed. 2 p. 27.

thesmothetis ἔτι δὲ τὰς εἰσαγγελίας εἰσαγγέλλουσιν εἰς τὸν δῆμον; grammatici autem vel eadem haec legebant vel fortasse εἰσάγουσιν pro εἰσαγγέλλουσιν, etsi parum certa res est.¹⁾ Falsa autem tradi non est quod dubitemus, et apparet omissis quattuor verbis εἰσαγγέλλουσιν—δῆμον omnem offensionem tolli. Verum iam antea (c. 43, 4) εἰσαγγελίας scriptor commemoraverat: κυρίαν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ δεῖ — τὰς εἰσαγγελίας — τοὺς βουλομένους ποιεῖσθαι. Huius loci si memor scriptor fuit, scribere potuit τὰς εἰσαγγελίας ἄς εἰσαγγέλλουσιν (scil. τινες) εἰς τὸν δῆμον, et facile omittebatur ἄς post εἰσαγγελίας. Rursus alia quaedam ipse nunc primus sustuli, ut in c. 4, 1 et αὐτῆς et ἡ πολιτεία, tum c. 31, 3 τὴν βουλήν, 34, 1 δέκα, 38, 3 ἅπαντος, porro 41, 2 bis καὶ μετὰ ταύτην et praeterea Ἀρεοπαγῖτιν, de quibus singulis in appendice ratio reddetur. Hoc addo, vehementer mihi probari Kenyonis hoc placitum, quod ille in omnibus chartis a se editis tenuit: lacunosa coniecturis omnino non tentanda esse.

§ 4. Alterius eiusdem libelli exempli — nam de Londiniensi pro huius editionis consilio iam satis dictum esse videtur — duo fragmenta lacera atque insuper male habita iam anno fere 1880 Berolinum in museum Aegyptiacum devenerant. Hoc alterum exemplum item papyraceum est, sed in codicis, non voluminis formam redactum; qua ex re ipsa iam apparere videtur Londiniensi aliquanto recentius esse, quamvis ceteroquin de aetate non constet. Contigit mihi ut haec fragmenta primus ederem²⁾, contigit item ut (quamquam non statim ab initio) ordinem eorum verum constituerem; non contigit ut agnoscerem auctorem Aristotelem, quae Theodori Bergkii laus est.³⁾ Post me edidit Hugo Landwehr, deinde novissime Hermannus Diels.⁴⁾ Prioris fragmenti pars antica recurrit in

1) Kaibel p. 244sqq. Wilamowitz I, 244, 1. Εἰς τὸν δῆμον nemo praeter schol. Platonis omittit.

2) In Herm. vol. XV, 368sqq.; cf. ibd. XVI, 42. XVIII, 478.

3) In Mus. Rhen. vol. XXXVI, 87.

4) H. Landwehr de pap. Berol. nr. 163, Berol. 1883 (cf. Philol. Suppl. V, 105). H. Diels in commentat. Academ. Berol. 1885.

Londiniensis pagina IV (p. 22, 10—23, 26), postica in V (p. 24, 17—25, 17); secundi utraque in IX (p. 38, 15—39, 9; 40, 5—41, 4); ita colligitur inter haec duo folia quattuor alia deesse. Verba scriptoris in Berolinensi exemplo magis quam in Londiniensi corrupta sunt, neque propter antiquitatem solam huic maior quam illi fides habenda.

Grammaticorum aliorumque testimonia ad supplenda vel emendanda verba iam Britannus editor adhibuerat; collecta exstant apud editores nostrates, quorum exemplum ipse quoque secutus sum. Ex aliis quibusdam testimoniis, adiuncta Heraclidis qui dicitur epitoma miserrima, paucas primae partis lacinias recuperamus, quas cum in prioribus editionibus reliquos editores secutus in calce libelli collocassem, inde a tertia ante principium eius transtuli.

§ 5. Magnopere autem refert, si recte pretiosum hunc magnaque cum cura scriptum libellum recensere velis, ea omnia bene cognita habere, quae sive in eloquendo sive in componendo scriptor sectatus est. Et de eloquio quidem copiaeque vocabulorum (quae in particulis inopia potius videtur vel si mavis parsimonia summa) utilissima multa iam Batava editio praebet; uberrime autem et ingeniosissime totum hunc locum in libro suo exsecutus est Kaibelius. De compositionis autem legibus haec sunt quae maxime observanda videntur. Primum hiatum evitatum esse manifestum est, eum dico hiatum qui elidendo vel contrahendo tolli non potest, neque vel particulis quales καὶ ἢ εἰ μή vel articuli formis efficitur; haec enim genera excusationem habere non apud hunc solum scriptorem dudum exploratum est. Adde ea quae ne Isocrati quidem vitanda esse visa sunt, quale est περὶ ante vocalem. Pausa autem vocis, quae fit in fine membri vel periodi, in universum hiatum non excusat. Itaque ut uno verbo comprehendam, leges obtinent eadem fere quibus Aristoteles exempli causa in Politicorum libro octavo se astrinxit. Leviores quoque hiatus ipsosque eos qui elisione tolluntur

Etiam Wilamowitzius editionis suae tertiae gratia denuo contulit.

quam parcissime scriptor admittit, maximeque eae voces quae suum pondus habent, ut nomina verbaque, raro cum altera voce insequente per elisionem coeunt. Haec autem sunt excipienda. Primum tota pars extrema inde a cap. LXIII sive LXII, in qua de iudiciis maxime scriptor agit, e legis vinculo exempta est; item temporum notationes quae passim admixtae sunt, velut c. 22, 5 τῷ ὁστέῳ (sic certe charta) ἔτι ἐπὶ Τηλεσίῳ ἀρχοντος; denique plebiscita pleraque legesque quae adferuntur, maxime ea quae exstant in cap. XXIX—XXXI. Relaxari autem severitatem componendi multo ante cap. LXII per se quisque facile intellet.¹⁾ In priore libelli parte si qui occurrunt hiatus suspecti plerique esse debent, praesertim si ne pausa quidem vocis succurrat, quae apud alios multos scriptores excusationi est. Suspectos esse dico, non tollendos; nam etiam scriptor in causa fuisse potest, non librarii tantum. Nempe compositionem numerosam artificique perfecti nihilominus hos hiatus habere posse mox patebit.²⁾ Sed ab inferendis hiatibus, qui non traditi sint, profecto editori sedulo est cavendum. Quod ad elisiones crasesque attinet, parum refert utrum eae scriptura expressae sint necne, neque quidquam in his contra chartam immutandum esse censui, cum scirem ne in poetis quidem veteres magnopere curasse, ut oculis quoque hiatum subtraherent, qui statim evanesceret in pronuntiando.

§ 6. Sequuntur numerorum leges, quae quidem leges simplicissimae sunt. Postulasse Aristotelem ut oratio pedestris, etsi a metris aliena, numeros tamen quosdam haberet, ex tertio libro rhetoricorum (c. 8) apparet; idem uno ore ceteri illius aetatis doctores paene omnes praescribunt, Isocrates Ephorusque et Theodectes et Aristotelem secutus Theophrastus. Originem autem eam rem cepisse a Thrasymacho Calchedonio per Aristotelem ipsum edocemur, unde et Isocrates suos numeros accepit et alii; ita

1) Disertius de hiatu vitato admissove agit J. W. Headlam in *Classical Review* V, 270—2.

2) V. infra § 7.

per totum saeculum quartum ea compositio obtinuit neque postea abolita est, etsi sunt quaedam mutationes postero tempore introductae.¹⁾ Numeri vel ῥυθμοί pedes sunt metrici, verum non minimi ambitus pedes velut trochaeus, sed maioris, incipientes a tribus vel quattuor syllabis progredientesque usque ad duodecim vel etiam multo plures, quovis modo ex brevibus longisque mixti, sive nomen acceperunt apud metricos sive sine nomine manserunt. Non tamen ideo statim numerosum est quod quocunque modo ex brevibus longisque mixtum; quod si foret, nemo unquam non numerose vel scribere vel loqui potuisset. Verum quaecunque brevium longarumque coniunctio numerosa fit repetitione: τάξις enim est ὁ ῥυθμός, quemadmodum Plato aliiue definiunt, quae τάξις apparet cum recurrit, si autem non recurrat neque appareat neque omnino sit. Non numerosum est per se quod exstat in cap. LV § 4: (ἐπειδὴν) δὲ παράσχηται τοὺς μέτρους, sed eo fit numerosum, quod proxime idem numerus, id est eadem τάξις χρόνων excipit: ἐπερωτᾷ τούτου βούλεται οὐ-----ο. Hoc autem numeri genus, quod dummodo τάξις sit, ultra omnes fines τάξεων certarum a poetis constitutarum summa licentia vagatur, ab audiente sentitur magis quam intellegitur, idque rectissime se habet in pedestri oratione, quae ne πολήμα fiat neve formā numerosā audientem a sententia percipienda avocet, ipse Aristoteles caveri oportere monet. Itaque vitium sit si diutius continuetur idem numerus, neque id fit illo huius libelli loco quem modo attigi, sed haec sequuntur: τις κατηγορεῖν, κἂν μὲν ἦ, οὐ-----ο, generis prorsus diversi: quae ut fiant numerus, iam repeti oportet: τις κατήγορος, δοὺς κατηγόριαν). Itaque et severe omnia numeris adstricta sunt, ne una quidem syllaba ut extra numerum relinquatur, et in ipsis numeris eligendis summa licentia est, quivis ut sit legitimus, solis metris exceptis. Numquam enim inveni trimetrum iambicum pro numero

1) Tractavi hanc totam quaestionem maxime in libro qui inscribitur 'Die Rhythmen der attischen Kunstprosa', Lips. 1901.

adhibitum, id est repetitum; item hexametrum dactylicum adeo fugiebant, ut etiam dactylis plus duobus coniunctis et Isocrates et Aristoteles fere abstineret.¹⁾ Quippe ipse docet in rhetoricis (III, 8), dactylum (quem ῥοῦνον vocat) augustiorem esse quam ut pedestri orationi conveniat, contrariis autem proprietatibus ab eadem excludi iambum et trochaeum; paeonem igitur e poeticis numeris solum orationi aptum relinqui. His igitur finibus et ipse se continuit, non tamen ut paeonem studiose sectaretur.²⁾ Atque praemittit praeceptis de numerorum genere, μέγροι του numerum esse adhibendum, id est, non ad satietatem usque paeones iungendos; sic enim erat periculum ut in auditorum aures mentesque numerus se inculcaret artificiumque, quod deberet latere, et sentiretur et displiceret. Adiumento autem erat ad minuendam talem frequentiam unius numeri, quod inde a Thrasy-macho omnes tribrachyn dactylumque, sive paeonem et choriambum promiscue adhibebant, tamquam eiusdem mensurae pedes essent: cum ceteroquin summa severitate syllaba syllabae responderet, finalibus et primis (si quidem ab iambo numerus inciperet) solis exceptis. Sed video et ad haec et ad alia quae exponenda sunt iam exemplis paullo pluribus opus esse. C. 48, 4:

τῶν εὐθύνων, οἷς ἀναγκαῖόν ἐστι	-----υ-----υ-----υ (a)
ταῖς ἀγοραῖς κα-	υυυυυ (b)
τὰ τὸν ἐπώνυ-	β'
μον τὸν τῆς φυλῆς ἐκάστης καθήσθαι. α'	

Responsionis forma non est vulgatissima illa, ut in prioribus quae attuli, aa'bb'cc', sed alia: abb'a'; sit illa

1) Nisi quod prope finem libelli ea quoque lex relaxatur. Quaterni dactyli coniuncti exstant c. LVI, 4 οὗς πρότερον μὲν ὁ δῆμος ἐχειροτό(νει); item pag. XXXI, 8 sq. -τος τοῦ ὑπηρέ-
του ἔλκει ὁ θεσμοθέ(της). Antea vel ternos coniunctos frustra quaeras.

2) In pedum singulorum usum valde curiose inquisivit Bruno Keil (Solon. Verfassung p. 18—39), sed ita ut (quod ego quoque diu feci) Ciceronem secutus a clausulis initiisque periodorum et membrorum proficisceretur. Hoc est, ut tandem didici, aetates commiscere, in quibus probe separandis una ex summis rebus huius quaestionis posita erat.

nobis A, haec B. In fine est quaedam *ὁμοιοτελεύτου* species: *ἐστι* — (*καθ*)*ῆσθαι*; numeris enim, sicut apud nos, saepe soni quoque ipsius similitudo accedit, ut in supra allatis: *τις κατηγορεῖν* *κἂν μὲν ἦ* — *τις κατήγορος*, *δούς κατη*. Tum a' una cum sententia excurrere videmus; item post a potest interpungi; sed b et b' ne vocabulo quidem integro terminantur. Non est in his neque necessitas neque regula, non magis quam in lyricis carminibus, quorum *κῶλα* saepe in medio vocabulo desinunt, periodi autem atque strophae saepe in media sententia, ut apud Sapphonem: *χρύσιον ἦλθες* || *ἄρμ' ὑπαεζύχαισα* —, vel apud Pindarum: *κράτει δὲ προσέμειξε δεσπότην* || *Συρακόσιον, ἱπποχάρμαν βασιλῆα*. Tamen pedestres numeri eo luculentiores evadunt, quo magis cum partitione naturali sermonis congruunt. Videamus igitur etiam proxima:

καὶ ἂν τις βούληται τι — — — — — (c)
μι τῶν τὰς εὐθύνας ἐν — — — — — c'
τῷ δικαστηρίῳ δεδωκότων ἐν — — — — — (d)
τὸς τριῶν ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἔδωκε — — — — — d'
τὰς εὐθύνας εὐθυῖαν — — — — — c''

Nullo horum quinque numerorum sententiae aliqua pars distincta finitur. Sed si eam licentiam statueris, ut possit in figura B (c' dd' c'') syllaba una vel plures simul ad contiguos duos numeros pertinere, habebis: *ἐν τῷ δικ.* *δεδ.* | *ἐν τὸς τριῶν* . . *ἔδω*—; tum *-κε τὰς εὐθύνας εὐθυ-*, et (e e') *-ναν ἂν τ' ἰδίαν ἂν: τε δημοσίαν ἐμ-*. Licentia autem ea quam dixi utique non extenditur ad numeros disiunctos formae A (aa' bb' cc'), sive ad numerorum paria, sed in eo diu erravi, quod putabam posse b a syllaba aliqua intra a' posita incipere, rursusque c a syllaba quam complectatur b'. Hoc addo, in c traditum esse non *καὶ ἂν* sed *KAN*; verum craseos usus etsi est apud hos scriptores, est tamen satis parvus, ut paene saepius contracta solvere oporteat quam soluta contrahere. Est etiam tertia forma C: a b' a b', sive abc a' b' c', velut in his (21, 5):

-μων τοὺς μὲν ἀπὸ τῶν τόπων, — — — — — (a)
(-πων), τοὺς δ' ἀπὸ τῶν κτισάντων — — — — — (b)
 b*

οὐ γὰρ ἅπαντες ὑπῆρχον ἐν	υ υ υ υ υ υ υ υ (c)
τοῖς τόποις. τὰ δὲ γένη καὶ	υ υ υ υ υ υ υ (d)
(καὶ) τὰς φρασί-	υ υ υ υ υ υ υ (e)
-ας καὶ τὰς ἱερωσύνας	(a')
εἶασεν ἔχειν ἐκάστους	(b)
κατὰ τὰ πάτρια. ταῖς δὲ φυ-	(c')
λαῖς ἐποίησεν ἐπωνύ-	(d')
μους ἐκ τῶν προ-	(e')

Haec igitur responsio, si recte eam constitui, per XXXVI syllabas extenditur¹⁾: quae cum unius numeri ambitum longe excedant, in quinos numeros dispertivi, partitione usus ut patet plerumque arbitraria. Bis autem syllabarum singularum inter numeros binos communionem statui, etsi poteram emendare; nam si ἄλλους δ' in b scripseris et γένη τε | καὶ in d e, responsio erit plane exacta. Unum iam exemplum dabo longius, quo appareat qua ratione hi numeri per aliquanto maius spatium decurrere soleant. C. XXVIII, 3 sqq.:

C διαβελίαν	υ υ υ υ υ (a)
ἐπόρισε πρῶτος, καὶ χρόνον	υ υ υ υ υ υ υ υ (b)
μὲν τινα διεδίδου, μετὰ δὲ	υ υ υ υ υ υ υ υ υ υ (c)
ταῦτα κατέλν-	a'
σε Καλλικράτης Παιανιεύς,	b'
πρῶτος ὑποσχόμενος ἐπὶ τοῖν	c'
δυοῖν ὀβολοῖν	a''
ἄλλον ὀβολόν. ²⁾	a'''
B τούτων μὲν οὖν ἀμφοτέρων θάνατον	υ υ υ υ υ υ υ υ υ υ (d)
κατέγνωσαν ὥστε-	υ υ υ υ υ υ (e)
ρον· εἶωθε γὰρ καὶ	e'
ἂν ἑξαπατηθῇ τὸ πλῆθος, μισεῖν τοὺς ³⁾	υ υ υ υ υ υ υ υ υ υ (f)
τι προαγαγόντας ποιεῖν αὐτοὺς τῶν μὴ	f'
καλῶς ἔχοντων. ἀπὸ δὲ Κλεοφῶν-	d'
B τος ἥδη διεδέχοντο συνεχῶς τήν	υ υ υ υ υ υ υ υ υ υ (g)

1) Similis ambitus exemplum v. in append. ad XLIII, 2.

2) De lectione cf. append.

3) Sustuli repetitum ὥστερον ante μισεῖν.

δημαγωγίαν οἱ <ἀ-	—υ—υ—υ—υ (h)
εἰ>μάλιστα βουλόμε-	h'
νοι θρασύνεσθαι	—υ— (i)
καὶ χαρίζεσθαι	i'
τοῖς πολλοῖς πρὸς τὸ παραντίκα βλέποντες.	g'
B δοκοῦσι δὲ βέλτιστοι	—υ—υ—υ— (k)
γεγονέναι τῶν Ἀθή-	—υ—υ—υ—υ (l)
νησι πολιτευσάμε-	l'
(μέ)νων μετὰ τοὺς ἀρχαί-	k'
B οὺς Νικίας καὶ Θουκυδίδης καὶ Θηρα-	—υ—υ—υ—υ—υ— (m)
(ρα)μένης. ¹⁾	—υ— (n)
καὶ περὶ	n'
μὲν Νικίου καὶ Θουκυδίδου πάντες σχε-	m'
δὸν ὁμολογοῦσιν ἄνδρας	—υ—υ—υ—υ—υ (o)
γεγονέναι οὐ μόνον κα-	o'
B λους καὶ ἀγαθοὺς ²⁾ , ἀλλὰ καὶ	—υ—υ—υ—υ— (p)
πολιτικούς ³⁾ ,	—υ—υ— (q)
καὶ τῇ πόλει	q'
πάσῃ πατρικῶς χρωμένους.	p'
περὶ δὲ Θηραμένους	p'' (dempta syll. prima)
διὰ τὸ συμβῆναι κατ' αὐ-	—υ—υ—υ—υ— (r)
τὸν ταραχώδεις τὰς πολι-	r'
B τείας ἀμφισβήτησις ³⁾ τῆς	
κρίσεώς ἐστιν. δο-	—υ—υ—υ—υ—υ—υ—υ (s)
κεῖ μὴν ⁴⁾ τοῖς μὴ παρέργως ἀποφαινο-	—υ—υ—υ—υ—υ—υ—υ (t)
μένοις οὐχ ὥσπερ αὐτὸν διαβάλλου-	t'
σιν πάσας τὰς πολιτείας καταλύειν, ἀλλὰ	s'
πάσας προάγειν ἕως μηδὲν παρανομοῖεν,	—υ—υ—υ—υ—υ—υ—υ (u)
ὥς δυνάμενος πολιτεύεσθαι πατὰ πάσας,	u'
ὅπερ ἐστὶν ἔργον	—υ—υ—υ—υ—υ (v)
ἀγαθοῦ πολίτου ⁴⁾ κτέ.	v'

1) His locis ut saepe in mediam figuram B incidit sensus clausula.

2) Crasis ut plerumque dissolvenda fuit; item supra in καὶν.

3) Nisi dispertiendi sunt hi συνθμοι (ss') sic: -τείας ἀμφισβή- | -τησις τῆς κρ. ἐ. δο-; -σιν πάσας τὰς πο- || -λιτείας κατ. ἀλλὰ. Ita rationem iustam habebit syllaba anceps, erit autem figura abc'c'a'b'.

4) De lectione v. app.

Magnam praeterea exemplorum copiam in appendice ad finem libri allaturus sum.

§ 7. Haec igitur compositio numerosa per totam libelli partem priorem ita obtinet, ut fere ubique vel compareat vel transpareat certe; est enim hic illic corruptelis offuscata. Quas corruptelas est ubi numeris ducibus et detegere et tollere satis certa ratione possimus: quod ego feci quatenus vel perfacile fieri vel aliquantum referre videretur, saepissime quidem ubi sufficeret *v* litteram addere sive demere, aut crasin traditam dissolvere. Nempe καὶ ἄν iam dixi non minus legitimum esse quam καὶν, omnesque vocales longae vel diphthongi vocem aliquam finientes insequente vocali corripuntur sicut apud poetas, qua ratione id quod per se vitiosi habet hiatus quodammodo plane tollitur. In καὶ et ἦ et τοῦ aliisque consimilibus et Aristoteles et alii plurimi scriptores, qui alioquin hiatum vitarent, corruptionem sufficere putaverunt; patet autem eandem ad omnes voces extendi posse (quod fit apud Platonem). Ideo huius quoque libelli vel certe prioris eius partis eos locos, quibus hiatus admissus neglegentiam compositionis indicare videtur (v. supra § 5), recte suspicabimur specie dumtaxat incompositos esse, revera autem non minus quam cetera numeris esse inclusos. Quod maxime pertinet ad capita XXIX—XXXI, quibus decreta quaedam vel placita exhibentur. Cave ne haec ex actis verbotenus descripta sive excerpta putes; quippe nolebat Aristoteles quicquam in libellum suum recipere quod cum tenore ceterorum vehementer discreparet, sed quicquid recepit, adaptavit quadam tenus maximeque in numeros redegit. Hoc idem fecisse Thucydidem in decretis quae libro V. inseruit cum nuper docuerim,¹⁾ non inutile videtur hoc quoque loco summa repetere. Foederis formula quae exhibetur eius libri c. 47, ex parte etiam in ipso lapide servata est: qui cum effossus esset, valde mirati sunt homines docti quod videbatur Thucydides minime ubique fideliter verba for-

1) V. Liter. Centralbl. 1902 nr. 42 p. 1399 sq.

mulae reddere. Fuerunt qui in librariorum culpa coniecta libros manuscriptos ex lapide emendandos esse censerent, quod ut recte fit quibusdam sine dubio locis, ita ad omnes extendi non potest, quia unus certe pertinaciter resistit. At si Thucydides a Thrasy-macho numerorum usum didicerat, habebat causam cur a formula lapidi incisa subinde deflecteret, ita scilicet ut sensui neque adderetur quicquam neque detraheretur. Itaque in § 6 sq. (ut in codicibus sunt traditi) manifesto hos numeros deprehendimus:

τῷ μὲν ὀπλίτῃ καὶ ψιλῷ καὶ τοξότη	— — — — — (a)
τρεις ὀβολοὺς Αἰγιναίους τῆς ἡμέρας	a'
ἐκάστης, τῷ δ' ἵππεϊ	— — — — — (b)
δραχμὴν Αἰγιναίαν.	b'
ἡ δὲ πόλις ἡ μεταπεμψαμένη τὴν	— — — — — (c)
ἡγεμονίαν ἔχεται ὅταν ἐν τῇ —	(c').

In lapide haec sunt servata: — ΟΣΑΙΓΙΝ — a', — ΝΕΤΕΙΣ — c', id est (-νῃ) τῇ στρατιᾷ ut videtur; at sic longe Thucydidis formula a lapide deflectit. In ceteris quid scriptor novaverit ignoratur; possunt autem complura fuisse. Addo alterum locum ex § 4 sq.:

κακῶς πάσχειν ὑπὸ πασῶν	— — — — — (a)
τούτων τῶν πόλεων.	— — — — — (b)
καταλύειν δὲ μὴ	— — — — — (c)
ἔξεῖναι τὸν πόλεμον πρὸς	a'
ταύτην τὴν πόλιν, ἢν	b'
μὴ ἀπάσαις δοκῇ	c'
ταῖς πόλεσιν. ὅπλα δὲ μὴ ἔαν ἔχον-	— — — — — (d)
τας διέναι ἐπὶ πολέμῳ διὰ	d'

Sunt terni numeri coniuncti abc, non minus vicenarum syllabarum. Atqui habuit lapis post πόλιν b' addita [μηδεμιά τῶν πόλεων], carebat verbis ταῖς πόλεσιν d; praeterea in b' non ἢν habet sed ἔαν. Quid igitur scriptor fecit, ut hos numeros efficeret? Ter cum sit in lapide πόλις: τῶν πόλεων — τὴν πόλιν — μηδεμιά τῶν πόλεων, item est ter apud scriptorem, verum tertium alio loco. Sensui nihil additur neque detrahitur; numerorum con-

cinnitas facillima ratione inducitur. Breviter tango initium ipsum formulae: *Σπονδὰς ἐποίησαντο ἑκατὸν Ἀθηναῖοι ἔτη καὶ Ἀργεῖοι καὶ Μαντινῆς καὶ Ἡλείοι*, ex quibus in lapide ultima tantum littera servata est; sed totidem litterae fuerunt. At diverse puto collocatis verbis: *ἑκατὸν ἔτη Ἀθηναῖοι*; quis enim nisi propter versum aut numerum sic verba traiciat? Quaerendi igitur numeri. Antecedunt *καὶ ξυμμαχίαν πρὸς αὐτοὺς τήνδε*, quibus respondent *-θηναῖοι ἔτη καὶ Ἀργεῖοι καὶ*, _ _ _ _ _; interiecta (bb') sunt *σπονδὰς ἐποίη-*: *-σανθ' ἑκατὸν Ἀ-*, _ _ _ _ (abb'a', B); pes igitur initialis numeri a, _ _ _ _ , inter binos numeros bis additus est. En habemus traiectionis rationem.

Ideo autem sum haec pluribus exsecutus, ut appareret quam facile Aristoteles quoque formulas illas in numeros redigere potuerit, neque fortasse formulas tantum alienas, sed etiam sua qualia ab initio rudia adhuc et incompressa in *γραμμάτεω* enotasset. Non est haec unica scribendi ratio, sed est certe quaedam, ut primo res tantum spectes, verba quae fortuito se offerant sumas, deinde autem secundam, denique ultimam manum admoveas omniaque magis magisque ad summam usque perfectionem perpolias. Demosthenem quidem videmus in Timocratea, quod imperfectum opus reliquit, per magnas partes ne hiatus quidem sustulisse, nedum numerosae compositiones leges adhibuisse; his igitur erat extremam manum admoturus neque tamen admovit. Huius autem libelli qui est de *πολιτείᾳ* cum altera pars, inde a c. XLII, in describendis institutis quae tum erant versetur, ipsae res plerumque ornatum omnem respuunt, simplex et exile dicendi genus sibi flagitant. Itaque et hiatus, sicuti vidimus, magis magisque crebri admittuntur, et numerosa compositio non raro ita desideratur, ut ne fuisse quidem ullam suspiceris. Exempli quaedam numerorum luculenta ex hac ipsa parte attuli; at eorum exemplorum alterum (c. 55, 4) si ultra persequaris, iam deficere numeros videbis. Nempe post *δὸς κατῆ-* excipiunt *-γορίαν καὶ ἀπολογίαν, οὕτω*, quae in minutos numeros redigere possis sic: *γορίαν κάπο- -λογίαν οὕτω*; sed proxima *δίδωσ(ιν) ἐν μὲν τῇ βουλῇ τὴν ἐπιχειροτονίαν* neque habent

numeros neque de corruptela suspecta sunt. Item aliae particulae permultae et maiores et minores adeo pertinaciter resistebant, ut desistere omni conatu satius videretur. In tomo autem quarto, in quo tot sunt lacunae coniectura explendae, numeros quaerere lusus sit magis quam res seria, etsi certe usque ad extremum versum tertii voluminis minime ambigui pertinent, et in ipso quarto est ubi quasi sponte se offerant. Sed extrema libelli verba (pag. XXXVI), quae sunt omnibus litteris servata, non habent eos numeros quos certo agnoscas. Finitur libellus verbis ἐν τῷ μέρει οὗ ἔλαχον ἕκαστοι, —————, in quibus sunt duo tribrachi coniuncti; eam autem coniunctionem sive tribrachorum sive dactylorum proxime invenis in his: (ἡμί-)χρον ὕδατος ἑκατέρῳ ἐπειδὴν. At tres ibi sunt pedes trisyllabi, non duo, et si inter se has particulas respondere facias: —δατος ἑκατέρῳ ἐπειδὴν. . . : μέρει οὗ ἔλαχον ἕκαστοι, interiecta haec habeas: δ' αὐτοῖς ἢ διαδεδικασμένα τὰ ἐκ τῶν νόμων, ἀπολαμβάνουσι(ν) τὸν μισθὸν ἐν τῷ, in quibus nulla est responsio. Sed id ipsum cognoscere valde utile est, adeo esse severas huius compositionis leges, ut ubi non sit per scriptorem introducta, obtrudere nos non possimus. Contra ubi, id quod modo dixi, quasi sponte se offerunt numeri, et per longas quidem series: certe non is qui eos primus animadverterit in causa est cur sint, sed scriptor ipse. Quem si quis non vult ita composuisse — videntur enim esse qui nolint —, potest pergere non videre, res mutare non potest.

§ 8. Ad reliqua quod attinet, de meo consilio meisque adiumentis haec pauca praefaturus sum. Contigit mihi anno pr. s. LXXXXII ut ipse haec volumina adirem atque examinarem; praeterea ab initio nunquam mihi defuit Kenyonis indefessa opera ad examinandas eas lectiones quae dubiae mihi viderentur, unde non solum ab erroribus tutior fui, sed etiam plus uno loco lectionem veram, quam ipse invenire non potueram, illius sollertia e tenebris erutam gratus accepi. Ad tertiam autem editionem meam etiam Wilamowitzii Kaibeliique tertia editio praesto fuit, innixa magna ex parte nova chartae collatione ab Udal-

rico Wilcken instituta¹⁾. Ita facti sunt fiuntque paullatim progressus. Pleraque iam editor princeps quamvis difficultatibus undique obsita recte expediverat, unde merito illius laudes certatim reliqui editores efferunt; deinde per multa ectypo usi et perspexerunt acute et scienter restituerunt Wilamowitzius Kaibeliusque; neque fraudandi laude sua Batavi editores. Secuta est prior mea editio, tum Sandysii doctrina diligentiaque praestans; porro (ne omnia nunc enumerem) editores nostrates separatim amplis libris compositis iteratisque curis suis bonum opus etiam melius reddiderunt. Porro ipse ad alteram editionem et his alienis omnibus usus sum et mea collatione et Kenyonis officiis, unde inter alia factum est ut extremae libelli paginae tandem in verum ordinem restitui possent. Easdem autem Wilcken, qui in aliis quoque multis rectius legendis singulare plane acumen praestitit, adiunctis quibusdam minutis fragmentis, de quibus desperaveramus ceteri, plurimisque litteris recte agnitis etiam magis integras intellectumque praebentes reddidit; unde iam Wilamowitzii opera, qui hanc provinciam fere solus administravit, in eius sociique tertia editione multo minus quam in mea altera lacunosae leguntur. Est autem ceteroquin ea editio meae alterius perquam similis, et tertia mea itemque haec quarta illorum tertiae etiam similior, ut laeti agnoscere possimus legendi restituendique progressus magnos non opinione sed re ipsa factos. Etiam quod ad emendationem attinet, etsi nunc quoque non raro dissentimus, tamen et illi cautiore facti sunt et ego paullo audentior, magis etiam postquam numerorum auxilio rectius uti didici. Ita enim profecto se res habet: minime ideo, quia unicus hic liber manuscriptus tam egregiae est antiquitatis, meliore condicione fruitur hoc scriptum quam alia Aristotelis vel Platonis, sed multo magis ideo deteriore, quod unicus liber est, cum illorum plures esse soleant; nam ex his saepe alter alterius ope facillime corrigitur. Ceterum correctiones vel minimas

1) Prioris suae collationis fructus Wilcken Herm. XXX, 619 sqq. publici iuris fecit; cf. quae ego scripsi in Ann. Fleck. 1896, 32 sqq.

quas introduxi semper indicavi, nisi quod orthographica chartae menda ad Wilamowitzii Kaibelique exemplum tacitus praeterii. Etenim nihil refert scire, *πολιτῆς*ne scriptum exstet an *πολείτης*, *πολιτία* an *πολιτεία*, *γίνομαι* an *γίγνομαι*, *ἐγκρατής* an *ἐγκρατής*; nempe librarii alter et tertius, etsi non primus quartusque, morem illius aetatis secuti praepositionum *ἐν* et *σύν* assimulationem neglegunt. *Ἐκ* a nullo librariorum assimulatur; assimulationis inter vocabula separata nullum vestigium; in his igitur antiquior scribendi mos iam ei quo nos quoque utimur cessit. Sed constanter scribitur *λητουργία λητουργεῖν* (c. XXVII. LVI), nisi quod semel *ΛΕΙΤ.* superscripta v. l. H, item semel *ΛΗΙΤ.* superscripto *ΕΙ* (c. LVI); *κατακλήσαντες* adeo c. XV, 4, quamquam alibi *κατακλείσας* c. XIX, 5 et *κατακλισθεῖς* i. e. *-εισθεῖς* XXVII, 2, quae correxi alios secutus. Substantivi accusativus pluralis est *τὰς κλεῖς* XLIV, 1; ita enim scriptum est, non *κλῆς*, neque ausus sum ignotam alioqui formam *τὰς κλῆς*, cuius loco *κλῆδας* est apud Aeschylum Aristophanemque, invita charta Aristoteli obrudere.

§ 9. Reliquum est ut eorum virorum doctorum nomina breviter commemorem, qui ad emendanda huius scriptoris verba aliquid contulerunt. Eos conquirendi praecipuam curam gessit J. E. Sandys, ad cuius editionem (p. LXVII sqq.) eos relego, qui omnia quam accuratissime scire velint. Principem nomino Britannum Kenyonem (K.), nostrates porro editores Wilamowitzium Kaibeliumque (W.-K.), tum Batavos van Herwerden et van Leeuwen (H.-L.). Horum uterque propriis quoque commentatiunculis rem promoverat: H. v. Herwerden (H.), *Philologische Wochenschrift* 1891, 322. 610; J. van Leeuwen (v. L.), in *Mnemosyne* April. 1891. Wilamowitzii et Kaibellii curas recentiores amplius libris consignatas verbo indico. Porro plurima contulerunt critici Britannici, quae magnam partem collecta exstant in *diario Classical Review* (Mart. April. Mai. 1891). E quibus Sandys propriam editionem omnibus copiis eruditionis instructam protulit a. 1893; cf. etiam eundem *Class. Review* Dec. 1893. Nostratium Austriacorumque hi maxime nominandi: A. Bauer (*Liter. u. hist. Forschungen zu Ar.*

Ἰθ. πολ., Monaci 1891; id. in *Analectis Graeciensibus*, Festschr. z. Philologentage in Wien 1893). Er. Bethe (Ar. de Ath. RPB. 20, Ind. lect. Rostock 1895). G. Busolt (Ar. od. Xenophon, Herm. XXXIII p. 71—86). Conr. Cichorius (Festschrift zu d. Historikertage in Leipzig, 1894). Herm. Diels (Deutsche Lit.-Ztg. 1891, 239. 876. Ber. der Berl. Akad. 1891, 387. Archiv f. Gesch. d. Philosophie IV, 478. Gött. Gel. Anzeigen 1894 nr. 4). M. Fränkel (Deutsche Zeitschr. f. Geschichtswissenschaft 1891, 164—167. Rhein. Mus. XLVII, 473—88). Theod. Gomperz, qui contra detractatores libelli huius fortiter pugnavit (Wiener Akad. Anzeiger 1891 No. XI; die Schrift vom Staatsw. d. Ath., Wien 1891; add. Deutsche Lit.-Ztg. 1891, p. 877. 1639; 1894, 264. 364). Holzinger (Philolog. vol. L, 436). F. Hultsch (N. Jahrb. 1891, p. 262—264). O. Immisch (Philolog. Wochenschr. 1891, 707). Bruno Keil (Philol. Wochenschr. 1891, 517. 549. 581. 613; 1892, 613. 649; 1893, 1352). Edidit idem librum sollerter et acute scriptum: die solonische Verfassung in Ar.' Verfassungsgesch. Athens, Berol. 1892. Joh. E. Kirchner (Mus. Rh. v. LIII, 380 sqq.). U. Köhler (Herm. 1892, 68. Ber. d. Berl. Akad. 1892, 339—45). C. F. Lehmann (Herm. v. XXVII, 530—60). J. H. Lipsius (Ber. d. Sächs. Ges. d. Wiss. 1891, p. 41—69). A. Ludwich, Festschr. für O. Hirschfeld, 1903, p. 61—68. C. Niemeyer (N. Jahrb. 1891, p. 405—15). Fr. Poland (ibid. 259 sqq., et in interpretatione Germanica quae prodiit Berolini ap. Langenscheidt). C. Raddinger (Philolog. vol. L, 229. 400. 468). E. Szanto (Archaeol.-epigraph. Mitth. XVIII, 151—161). Theod. Teusch (de sortitione iudicum ap. Ath., D. I. Gott. 1894). Udalr. Wilcken (Herm. XXX, 619 sqq., supra p. XXVI, 1; ibd. XXXII, 478—482, de Thettalo c. 18, 2). Idem de loco quodam paginae XXXIII (v. 19) benigne me per litteras edocuit. Ad Wilhelm (Akad. Anzeiger, Wien 1895, 20. Mart.; Archaeol.-epigr. Mitth. aus Oest.-Ungarn XX (1897), 97—100). Ipse quoque multos locos attigi in censura editionis principis (Lit. Centralbl. 1891, 28. Febr.) alibique. Ex Danis nomino C. Hude (Filologiske Tidskrift 1891,

248—251; N. Jahrb. f. Phil. 1892, p. 172—76; idem prior partem libelli bis edidit, cum commentario danico Havniae 1892, cum germanico Lipsiae 1892), porro M. C. Gertz (Fil. Tidskr. 1891, 252—255, et in Neue Jahrb. f. Philol. 1891, 192); ex Batavis E. O. Houtsma (Philol. Wochenschr. 1891, 801), J. J. Hartman (in Spectat. Nederland. 14. Mart. 1891), S. A. Naber, qui editoribus popularibus inventa sua per litteras transmisit. Apud Francogallos exstiterunt H. Weil (Journ. des Savants 1891, 197—214), R. Dareste (ibid. 257—273), B. Haussoullier (Rev. de philol. 1891, p. 98; 1892, 167; 1893, 48), Th. Reinach (Rev. des études gr. 1891, 82. 143); apud Italos Aeneas Piccolomini (in Arist. et Herodam animadv. criticae, Augustae Taurin. 1892), Gius. Fraccaroli (Riv. di filol. XXI, 49); tum trans Atlanticum mare B. Gildersleeve (Amer. Journ. of philol. XII, 97), Th. D. Goodell (ibid. 319—26), J. H. Wright (ibid. 310—18; Harvard Studies in class. philol., Boston 1892). Rossorum iam plures quam antehac laudare possum: pridem enim plerique lingua patria utentes inventa sua ceteris nationibus invidere videbantur¹); iam vero et Michael Pokrowsky commentatione germanica Annalibus Fleckeiseni (1895, 465—476) inserta in Aristotelis scribendi disserendique genus subtiliter inquisivit, et latino sermone Bernhardus Bursy de Πολιτείας partis alterius fonte et auctoritate uberrime disputavit (Dorpati 1897), contra Wilamowitzium probans eam partem ab Aristotele legum ipsarum ope neque Atthidographi alicuius ignoti confectam esse²). Denique plurima sunt Graecorum: Gregorii Bernardakis (Ἐπιστολὴ π. τ. πολ. Ἀθ. τοῦ Ἀρ., ἀνατύπωσις ἐκ τῆς Ἐφημερίδος, Ἀθῆν. 1891), A. Gennadii (in diario Ἀκρόπολις inde a 18. Mart. 1891), K. S. Konti (Ἀθηνᾶ vol. III p. 289—400; IV p. 3—183; Στοά vol. I, 44), B. Laconis (in diario graeco Ἡμέρα; Ἀθηνᾶ III, 577—592; V, 284 sqq.), J. Pantazidis (Φιλολογικὸν

1) Germanica lingua scripsit V. von Schöffer, Philolog. Wochenschr. 1892, 1285. 1317; 1893, 1409.

2) Censor eius libelli apud nos exstitit G. Wentzel (Gött. Gel. Anz. 1897 p. 616 sqq.).

παράοιμα τῆς Ἑστίας, 1891), G. A. Papabasilii (Ἀθηνᾶ III, 278—288), P. N. Papageorgiu (Ἀθην. IV, 513—618), Georg. Sakorraphi (N. Jahrb. 1893, p. 677). Editionem priorum capitum XLI fecit Germanus Athenis degens Guil. Bart (Γ. Μπάρι), Ath. 1898, scholiaque breviter proprio libello adiecit (1899). Tum utilissima opera iuriconsultus Smyrnaeus P. S. Photiades, Conti discipulus, obscurissima quaeque alterius libelli partis commentationibus suis illustrare pergit, v. Ἀθηνᾶ X, 149—157. XI, 3—116. 361—377. XIII, 119—180. XIV, 65—125. 225—231. 241—282. XV, 3—32. Denique Anastas. Sakellarios¹⁾ laude sua non est fraudandus, etsi ratione usus minus probabili. Chartam enim ipsam quamquam nunquam inspexit, ectypi tamen ope ea se agnoscere posse putat quae in ipsa charta nemo agnovit. Aut igitur valde socordes fuimus qui chartam examinavimus, aut fallitur Graecus, atque hoc affirmat ipse Kenyon. Verum in coniecturis suis non semper falli videtur. — Ceterum operam dedi in adnotatione critica, ut suum cuique tribuerem; sed quis princeps aliquam coniecturam protulerit, saepe vix atque aegerrime inveniri potest. Denique addo, signis me usum esse plane eisdem quibus Wilamowitzius Kaibeliusque: [—] ad notanda ea quae in charta olim fuisse putem, <—>, ubi contra chartam aliquid addendum videtur, [—], ubi delendum aliquid quod in ea exstat.

1) Untersuchung des Textes der Ἀθ. Πολ., von Dr. Anastas. Sakellarios, Jena 1898. Παρατηρήσεις — εἰς τὴν Ἀθ. πολ., ὑπὸ Ἀ. Σαν., Athenis 1899.

D. Halis Saxonum mense Maio 1903.

F. Blass.